Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31714
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Secunda dicit. Multi qui persecuntur me et tribulant me; a testimoniis tuis non declinavi. Tercia ita. Erravi sicut ovis que periit; quere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Versus presentis cursus memorat temptationem que designatur per solis declinationem. Ab occultis meis inquit munda me domine, et ab alienis parce servo tuo.

Legimus in Esdra quod iam memoravimus, quater in die populum domini confessum esse domino, et quater in nocte. Et ex verbis Bede qui tractat in eodem est opinionem esse cognoscimus sancte ecclesie; iuxta illum morem se quatuor officia celebrare in die, et quatuor in nocte. Non enim inmerito nos qui militamus deo quater in nocte vigilias renovamus, cum hi qui seculo militabant per quatuor vigilias findebant noctem in castris, ne irrumperentur castra ab inimicis. Nostras quatuor vigilias in nocte solemus vocitare: Vespertinum, Completorium, Nocturnum, Matutinum. Quinque psalmi cantantur, ut ignoscant nobis quod delinquimus quinque sensibus corporis. Nos quinque psalmos antiphonatim cantare solemus. Denique ab Ignatio episcopo Antiochene antiphonarum usus in ecclesiis primo cepit actitari. Ita enim narrat: Ignatius Antiochene Syrie tercius post apostolum Petrum episcopus, qui etiam dum degebat vidit angelorum visionem quomodo per antiphonas ymnos dicebant. Isque modum visionis Antiocene tradidisse probatur ecclesie; et ex hoc ad cunctas transivit ecclesias. Post hoc sequitur lectio a pastore dicenda. Ipsa enim est lectio quam pastor debet suis domesticis sollerter administrare. Audivi quondam responsoria cantari aput quosdam post lectionem vespertinalem que continentur in aliquibus antiphonariis. Sed aput nonnullos modo ac pene omnes post lectionem sequitur coniunctim versus. Sepe enim revolvo aput me: si nunc de responsoriis post lectionem vespertinalem tenendum est, quare non simili modo decantatur post lectionem matutinalem. In hac revolutione cogitationum occurrit michi, ut sic ymnus magnificat sancte Marie post vespertinalem tantum [illegible] lectionem cantatur, sic et responsoria

[illegible]